

Neues Archiv

der

Gesellschaft für ältere deutsche Geschichtskunde

zur

Beförderung einer Gesamtausgabe der Quellenschriften
deutscher Geschichten des **Mittelalters**.



Erster Band.

Hannover.

Hahn'sche Buchhandlung.

1876.

Verse aus England.

Von W. Wattenbach.

Die folgenden Verse sind durch den Prof. K. Pertz aus einer leider nicht bezeichneten Handschrift in England abgeschrieben, und schienen der Mittheilung nicht unwerth zu sein. Sie gehören der Form nach der Mitte des zwölften Jahrhunderts an, und erinnern an Matthaeus von Vendôme. Wie Herr Prof. Pauli bemerkt, weist die Bezeichnung des in IV gefeierten als Prior auf die wenigen Zellen der Cluniacenser in England; der Verfasser ist ein Franzose. Es könne daher mit jenem Prior Heinrich der Bruder des Königs Stephan, Heinrich von Blois, gemeint sein, der als Cluniacenser Mönch anfang, zwischen 1129 und 1174 Bischof von Winchester, Cardinal und Legat wurde.

I.

- Venimus ad naves, conscendere me prohibebat
Imperiosa satis causa, timere mori.
Posthabui prohibentia me praesagia vana
Ingrediensque rates aggrediebar aquas.
5 Fidens ergo fide statui mihi corpus in arcto,
Sic ut ego navi crederer, illa mari.
Dumque ferunt venti celerem per caerula classem,
Dumque fugam fingit terra, carina facit,
Mox animum curae subeunt, incommoda corpus,
10 Mox mea pertemptant pectora mille metus.
Oceani spacium vitreamque querebar abissum,
Et solo poteram pene timore mori.
Flatus vel fluctus, si vel dedit aura vel unda,
Et gemit crebris ictibus icta ratis,
15 Tota videbatur laterum conpago resolvi,
Pertimuique ratem non satis esse ratam.
Causa timoris ego, pro me de nave timebam,
Sollicitusque mei conpatiebar ei.
Hinc me destituit motum mare, praevaluitque
20 Debile debilius reddere turbo caput.
Permovit cerebrum permoti vis elementi,

- Exegit stomachum nausea crebra nimis.
 Inter amara maris discrimina, resque molestas,
 Sola mihi terrae mentio dulcis erat.
- 25 Jamque videbantur portus procul posteriores,
 Sed quae terra foret lis generalis erat.
 Grandis erat de littore lis, nec erat mihi cura,
 Quaenam terra foret, dummodo terra foret.
- 30 Velle¹ solet quodcumque solum, quem territat unda,
 Nec magis hoc illo² littore litus amat.
 Magne Deus, quam magna dies, quam longa diaeta,
 Quamque videbatur mors prope, terra procul!
 Emenso pelago quum demum Gallus³ ad Anglos
 Applicuit, placuit applicuisse mihi.
- 35 Quivis portus erat gratus mihi, gratior iste,
 Quivis dulcis erat, dulcior iste mihi.
 Eximios portus praetendens insula Bruti,
 Fessis dulce solum, dulcior ipsa dedit.
 Dulce solum quod non umquam fuerat⁴ nisi dulce,
- 40 Tunc mihi praecipue post mare dulce fuit,
 Quumque hominum cultus adtendere sepe viderer,
 Morum precipuus insidiator eram.
 Perpendens igitur clarum genus indigenarum,
 Mores morales, facta faceta fore,
- 45 Cultus et vultus alacres, et libera corda,
 Quasque putes natas ad sua danda manus:
 Si non mirarer, mirum foret, utpote Gallus,
 Gallia cui numquam tale videre dedit.
 Libera gens, cui libera mens et libera lingua,
- 50 Sed lingua melior liberiorque manus.
 Libera sunt mens, lingua, manus, tantumque videntur
 Libera, quod nequeant liberiora fore.
 Libera mens, vox liberior, celeberrima dextra,
 Libertatis opus cogitat, edit, agit.
- 55 Ingenii precium facies promittere laeta,
 Quod monstrare potest officiosa manus.

II.

- Anglia, terra ferax, et fertilis angulus orbis,
 Fertilior cornu, Copia sacra, tuo!
 Anglia, dulce solum, quod non aliena recensque,
 Sed sua dulcedo pristina dulce facit.
- 5 Anglia, plena iocis, gens libera, nata iocari,
 Tota iocosa, velim dicere: tota iocus.
 Que nichil a Gallis, sed Gallia mutuatur inde,

1) Ville c.

2) ille c.

3) Gallos c.

4) fuit c.

- Quicquid letitiae, quicquid amoris habet.
 10 Insula praedives, quae toto non eget orbe,
 Et cuius totus indiget orbis ope.
 Insula praedives, cuius miretur et optet
 Delicias Salomo, Octavianus opes.
 Insula quam quondam fecere sibi specialem
 Divitiaeque sinum deliciaeque larem.

III.

- Ibis et in nostros, dives Londonia, versus,
 Quae nos immemores non sinis esse tui.
 Quando tuas arces, tua menia, mente retracto,
 Quae vidi, videor cuncta videre¹ mihi.
 5 Fama² loquax et nata loqui, moritura silendo,
 Laudibus abstinuit cudere falsa tuis.
 Non permittit eam mentiri copia rerum,
 Sufficit ut dicat materiale bonum.
 Urbs locuples³ opibus pollens, epulis opulenta,
 10 Plena, referta, frequens civibus, aere, foro.
 Villa frequens, victus celebris, mirabile castrum,
 Quale vel aequale non habet orbis opus.
 Istic invenies venalia tanta, quod omnes
 Expositas merces vix sibi mundus emat.
 15 Dicere quid quaeras tuus est labor, elige quod vis,
 Et quod nullus habet, venditor illud habet.
 Tamensis fluvijs muris allabatur, inde
 In mare fert dulcis defluus amnis aquas.
 Fit maris exorsus, qui dum fluvialibus undis
 20 Obviat, hospitibus morigeratur aquis.
 Fluminis unda fugax, scandens ex inferiori,
 Ad superas partes impetuosa redit.
 Si mare detumuit seseque coercuit estus,
 Mox redit ut currat unda futura mare.
 25 Civiles oculos remoratur flumen aberrans,
 Dum meat et remeat, dum fugit atque fugat.
 Cetera praetereo quia praeterit hora diei,
 Terminat hora diem, terminat auctor⁴ opus.

IV.

- Istius⁵ iste loci prior olim rite peregit,
 Omne prioris opus, gessit honoris onus.
 Henricus nomen, genus altum, Gallia nutrix,
 Vita fuit virtus, crux via, causa Deus.

1) In der Abschrift steht 'timere'; nach den Zügen der Hs. am Rande scheint eher 'tunere' zu lesen. Einen Sinn giebt nur 'videre'.

2) Flamma c. 3) locupes cod. 4) actor c. 5) Im Cod. fehlt 'Ist'.

- 5 Et prior et monachus, neutri fur, laus utriusque,
 Debitor amborum solvit utrique suum.
 Ecclesia grandi loca plenius ista beavit,
 Ecclesiam monacis, hos ope, se meritis.

V.

- Ut¹ duo, carta, salus, mihi, nobis, missa fuere,
 Sic commune datum, sic speciale fuit.
 Missa mihi socioque salus, res una duobus,
 Nos facit esse tuos, res licet una duos.
 5 Ambo salutati fuimus, resalutat uterque.
 Sic quod utrique dabas, nunc ab utroque capis.
 Scripta mihi soli misisti, solus habeto,
 Solus ego soli scripta remitto tibi.
 Sic ego, sic socius, ego carmen, uterque salutem
 10 Ecce reportamus, debita quisque sua.

VI.

- Exhibet una dies duo gaudia, quando vicissim
 Grex de pastore, de grege pastor ovat.
 Pastor ovat quod tam feliciter, auspice Christo,
 Romam papam nunc, ivit, adivit, adest,
 5 Quem non detinuit, superavit, terruit, ussit,
 Accola praedo, labor, semita prava, calor.
 Prosperitas cum quo pariter pergente profecta,
 Cum redeunte redit, cumque manente manet,
 Cui valet ad mores, quod semper amavit amari,
 10 Quod nil plus timuit, quam timor esse suis.
 Addidit ad mores dominus, nunc addat ad annos,
 Praebuit esse bonum, praebeat esse diu.

VII.

- Conquereris de nocte tua, quam multa dedisse,
 Multa tulisse tibi, nil valuisse doles.
 Ducitur ad culpam quasi quae tua dona fefellit,
 Et quae contulerat dona, repente tulit.
 5 Nox ea, si sapias, nox non fuit, ergo dies? non.
 Non hoc, non illud, maius utroque fuit.
 Nox ea plena die, penetrans arcana dierum,
 Magnum magna fuit vaticinata diem.
 Nox ea, nocte carens, aliis nox, lux tibi non nox,

1) Der erste Buchstabe ist in der HS. durch einen Flecken verdeckt.

- 10 Quod tibi nulla dies, ipsa videre dedit.
Haec tua nox, innoxia nox, et nuntia lucis,
 Cum reliquis nomen, cetera plus habuit.
Illic jam caussaris sine causa, nil tulit a te,
 Si nichil ante dedit, sed nichil ante dedit.
15 Ergo praeostendit, nondum praetendit, honorem
 Et dicto 'praesul', non ait 'es', sed 'eris'.
-